



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno 561 Usque Ad Annum 633

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1759**

**VD18 90117832**

§.49. Reccaredi & S. Leandri obitus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66072](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66072)

*Sæculum VII* *Caput est, fuisse judicandum.* His mandatis addita erat Sententia Januario Episcopo favens, qua innocens pronuntiatur, & Episcopi, qui eum condemnaverant, cum Episcopo in ejus Sedem intruso secundum priora mandata damnatur. Hæc Acta inter epistolas anno 603, datas leguntur.

A. C. 603.  
XI. epist. 55.

§. XLIX.

*Reccaredi & S. Leandri obitus.*

*Isid. Ch. Sup. XXXIV. n. 55.* Tot mala in Ecclesiis Hispaniæ, & Episcoporum vilipensio originem traxisse videntur ex Seditiõibus, quæ secuta sunt decessum Regis Reccaredi; is enim Toleti anno Regni sui decimo quinto æra 639. idest, anno JESU CHRISTI 601. obiit, postquam in Pace & Gloria, reducto ad Religionem Catholicam Populo suo, regnasset, Princeps lenis & humanissimus, cujus vel solus aspectus etiam malos ad amorem invitabat. Ecclesiis & privatis fundos reddidit, quos Patet ejus usurpaverat, & Fisco addixerat, sæpe imperata populis tributa condonavit, ut ceteras largitiones & elemosynas silentio prætereamus. Vitam sancte clausurus in Spiritu Pœnitentiæ Fidem publice professus est. Ita de eo loquitur S. Isidorus, qui S. Leandro Fratri suo in Sede Hispalensi novissime successerat. S. Leandri Memoriam Ecclesia 27. Febr. co-

*Id. illust. c. 28*  
*Martyr. R.*  
*7. Febr.*

lit. Reccaredo Regi successit filius Liu-<sup>Sæculum VII</sup>  
 ba, adhuc quidem juvenis, sed præcla- <sup>A. C. 603.</sup>  
 ram a Natura indolem nactus, ideoque  
 spes unica Patriæ; verum, triste fatum!  
 annis duobus Regno potitum Vitericus  
 rebellis de throno deturbat, manu dex-  
 tra mutilat, & vita exuit annos natum  
 viginti duos. Ita Vitericus Gothicis in  
 Hispania annis septem ab æra 641. Anno  
 Jesu Christi 603. regnavit.

Eodem anno Theodorici Regis octa-  
 vo, quo Sol Eclipsin passus est, in Con-  
 cilio Cabilloni ad Ararim celebrato De-  
 siderius Episcopus Viennensis Aridio E-<sup>Fred. Chr.</sup>  
 piscopo Lugdunensi & Brunehilde Re- <sup>c. 24.</sup>  
 gina instigantibus depositus est, & Domno-  
 lus in ejus locum suffectus. Desiderium <sup>Id. c. 32. Jon.</sup>  
 primum in quamdam Insulam relegatum, <sup>vit. S. Col.</sup>  
 cum inde rediisset, elapsis annis quatuor <sup>c. 54.</sup>  
 Theodicus Rex lapidibus obrui jussit  
 ejusdem Aridii & Reginæ consilio impul-  
 sus. Ita extinctus est Desiderius 23. Maji  
 anno 607. in Territorio Lugdunensi in  
 ripa amnis Chalononæ, locusque adhuc <sup>Boll. tom. 16.</sup>  
 hodie ab ejus nomine appellatur. Eccle- <sup>p. 251.</sup>  
 sia ejus memoriam inter SS. Martyres co- <sup>Mart. R. 23.</sup>  
 lit, atque Sepulchrum multis prodigiis <sup>Maji.</sup>  
 claruit.

§. L.

*Epistola ad Theodelindam.*

In Italia interea inter Romanos, Lon-  
 gobardosque recruderat bellum, &  
 mense